

nunc tantum tres superstites reperiuntur.⁴⁰ Nihilominus Franciscani remanserunt, ut illas reliquias pascere. Episcopus bosnensis nunc denuo in vetere sede episcopali Đakovo sedem fixit. Jam a. 1688 videmus supranominatum fr. Nicolaum Ogramić defendentem veteres possessiones suae dioecesis.⁴¹ Ipse serio cogitavit (nisi de manu occisoris occubuerit) domum et ecclesiam cathedralem aedificare; in Bosna vero, quae adhuc sub othomano dominio remansit, ita testante Farlati, domum pro episcopo prope conventum de Kreševo construxit.⁴² Loco sui, pro interim, proprium Vicarium fr. Stephanum a Jajce, cum plena potestate instituit eidem inculcans, ut parochos praeficiat, populum visitet, confines et territorium dioecesis integrum conservet.⁴³ Successor ejus episcopus Patačić loco sui nominavit tres Vicarios — tres guardianos superstitum conventuum.⁴⁴

Attamen, Franciscani cum populo, quia episcopus personaliter hanc partem dioecesis non visitabat, neque commodum habebant domi clericos ordinandi, insistere coeperunt apud S. Congregationem, ut eis novus episcopus provideatur, aut proprius in Bosnam conferatur.⁴⁵ Sic an-

⁴⁰ Jelenić, Spomenici, Monumenta, I, 33 n. 36.

tar 1927, 33 n. 36.

⁴¹ Horvat, Monumenta, GZM., XXI (1909), 404 sq., n. 168—169.

⁴² »Aedem quippe cathedralem in illa urbe construere, et capitulum clerumque inferioris ordinis instituere ad S. liturgiam, et quotidiana religionis officia pro dignitate cultus divini peragenda, decretaverat. Apud Cresceum urbem Bosinae olim opulentam ac nobilem, in qua olim sedes episcopalis fuisse dicitur, domicilium satis commodum aedificavit, quo uterentur episcopi, cum permissu magistratus Turcici Savum transgressi, bosnensem dioecesim lustrarent; cujus quidem singulis annis lustrandae morem numquam ipse intermisit«. Farlati, IV, 82—3.

⁴³ Arch. Con. Šibenik.

⁴⁴ Episcopus bosnensis D. Georgius Patačić a Zaezda, die 30 Junii 1714 tres guardianos nominat in vicarios generales: »Quapropter per has patentes nostras rogamus enixe et in visceribus Christi obsecramus RR. PP. Guardianos conventuum formatorum in regno Bosniae dioecesis nostrae, ut animabus Christi sanguine redemptis pro pietate et possibilitate sua nostri loco succurrant et curam earum solícite ac indefessi gerant« Archivum Prop., Cong. part. — Bosna othomana, 1760, v. 126 f. 86v—97.

⁴⁵ Obicitur Franciscanos id fecisse ex amore independentiae et appetitu dignitatis. An et in quali gradu hoc fuerit, ex documentis non liquet, at